



ΙΑΑΕΜΟΣ, LXX.

IN FVNERE

Iuuenis religiosè & cupidè in Christo defuncti,

M. CHRISTOPHORI  
CAESARIS IUNIORIS:

SANCTOS EIVSDEM,

*Filij sui optimi & optatissimi,*

*& nunc verè beati,*

MANES,

In luctuoso debitæ pietatis officio, ver-  
ficulis extemporaneis

PROSEQUENTE PARENTE  
M. CHRISTOPHORO CAESARE,  
Rectore Scholæ Halensis; mœ-  
rente & dolente.

IV. Die Octob.

ANNO M. D. XCVIII



Halæ, excudebat Paulus Gräberus,

69

54

# VERSICVLI EXTEM-

PORANEI,

Ex his excerpti,

Quibus inter gemitus & lacrymas,

IUSTA FVNERI SOLVENS,

PARENTAVIT

Filio ; Pater : Christophoro ; Christophorus : Cæ-  
sari ; Cæsar : Cui celesti glorioso ; Hospes in sede terrenâ &  
fordidâ peregrinus : Verè felici & beato ; miser & luctuosus ;  
sempiterno immortalis vitæ æuo perfruenti ; continuâ mor-  
tis obuersantis imagine territus : suauiter in portu quietis  
optatissimæ conquiescenti ; miserè varijs subinde casibus ia-  
ctatus : Illi in Ecclesiâ triumphante vniuersis defuncto malis ;  
hic in Ecclesiâ militante omnibus sortis furentis telis propo-  
situs : Illi immarcescibili vitæ celestis coronâ ornato ; hic in  
aridâ canicie ærumnosæ vitæ squalore & mœrore obsitus : Il-  
li augustos iam, morte euictâ, cernenti sacrosanctæ Trinitatis  
vultus, in dulcissimâ beatarum Mentium, præmissorumq; a-  
micorum, consuetudine ; hic omnibus votorum desiderijs,  
per varia rerum discrimina, deniq; mortem ipsam, ad eandem  
beatitudinem, veluti portum omnium felicissimum,  
quotidiè aspirans, plenisq; velis contendens ;

AB HORA

Eiusdem piè & placidè in Salvatore Iesu Christo mortui  
fermè XI. meridianâ, diei III. mensis Octobris ;

VSQVE AD HORAM

XII. diei sequentis: quâ sanctis eius exuijs in arcuatum monumentum  
depositis, factum illi fuit funus.

Anno Christi 1598.

M. CHRISTOPHO-  
RO CÆSARI, FILIO D.VL-

CISSIMO, ET OPTATISSIMO, ET NVNC

verè beato, M. Christophorus, pater luctuosissimus &  
moestissimus, in lacrymis & dolore, his ver-  
ficulis, Sandapilæ simul illius in-  
clusis, parentat.



DITVS est in hanc lucem Halæ Saxonum,  
Die IX. Mensis Aprilis, qui sacer est Proco-  
pio: semisse post IX vespertinam, Ann. 1579.  
Decessit III. Die M. Octobris, semisse post horam X.  
Meridianā, Anno 1598. in verà agnitione, constanteq;  
confessione Filij Dei, Redemptoris Iesu Christi, in com-  
plexu suorum parentum Halæ Saxonum, inter preces  
ardentissimas: mori cupidissimus: indicijs præsentia  
& gubernationis Spiritus Sancti, perceptiq; iam, in  
mortali etiam corpore, sempiterni gaudij (quod & in-  
timis cordis gemitibus, & voce suâ sæpè testatus fuit)  
manifestè apparentibus.

VIXIT ERGO

Annos XIX. & semestre: Minus tamen D. IX.  
& Horis XII.

DEbueras tumultum mihi, NATE, parare parenti:  
Ecce Senex Iuueni nunc pater ipse paro.  
Tu baculus canæ fueras mihi, NATE, senectæ:  
Totali at fulcro, NATE, ruente, ruo.

A 2

Cred.

Creditus ipse, aliquando, fui in te viuere uiuō,  
 Mortuus: at morior, te moriente, simul.  
 Lux fueras mihi, delicioſa animoq; voluptas:  
 Lumine te caſſo, ſed tenebræ, atq; dolor.  
 Longa tibi quid nunc vigilatæ tempora noctis  
 Profunt; doctrinæ quid tibi partus honor?  
 Tot ſumtus non meſſis erant modò in herbâ; at in ipſâ  
 Iam re: longa rapit præmia at hora breuis.  
 TE genui ipſe, Dei cultorem à morte putatum,  
 QVO mea floreret fulſa SATORE domus.  
 Hei mihi, quàm citò ſpes, citò res humana labafeit:  
 Gaudia, luctificâ hei verſa, putata, nece.  
 Quid miſero porrò reſtat mihi, NATE, parenti,  
 Quàm moriens vnâ vt ſim tumulandus humo.  
 In lacrymas verò licet ipſe reſoluar humentes,  
 Pars, lacrymæ, ſummi nulla doloris erunt.  
 Solatur tamen id ſolum: mox ſubſequar; Vnâ  
 Hac vnâ tecum contumulandus humo.  
 Me cernes, ego te cernam: ſed cernet vterq;  
 Non dirimendus, ouans, ætheris arce, DEVM.

*Die IV. Octobris, quo exuuiæ illius Sanctæ de-  
 poſitæ in tumulum fuerunt, horâ XII. meridiana,  
 Anno 1598.*

Plis Manibus M. Chriſtophori Cæſaris, Fratris ſui  
 vnici, vniceq; cari, beatæ memoriæ: in recordatio-  
 ne amoris fraterni luctuoſa, deſiderioq; illius trifti, hos  
 verſiculos conſecrat Frater vnicus Ioachimus: vnaq;  
 cum exuuijs ipſius ſanctis tumbæ imponit.

Ergò

**E**Rgò ne, FRATER, abis à nobis, OPTIME FRATER,

Discedisq; oculis Carior hisce meis?

Sed nec abis, nec discedis, verùm ipse recedis |

A nobis modico tempore, nosq; præs.

Nempe loco vt celi mox conueniamus in vno:

Ne tamen hîc iunctos separet vlla dies.

Non etenim venies huc TV; veniam sed ego ad TE:

Vnà vt perpetuò permaneamus ibi.

Interea celi ambrosium cape lætus honorem;

In tumultoq; cubent suauiter ossa tuo.

Fraternis tua sed lacrymis busta vsq; rigabo,

Donec eas nostro tergat ab ore Deus.

Esai. 25 f

Apoc 7, 21

*Die. IV. M. Octobris, quo corpus exanime,  
quod viuum erat domicilium Spiritus S.  
terre mandabatur, Anno 1598.*

**P**Ræterea his versiculis addebatur Psalterium Dau-  
dis: quod nimirum vnicè huius lectione & medita-  
tione delectaretur beatus hic Christophorus: non au-  
spicatus operarum suarum pensum, nisi ab vnius & al-  
terius Psalmi, vniusq; Bibliorum capituli, recitatione;  
neq; cubitum se prius conferens, quam eadè recitatione  
expeditâ: à puero ad hoc religiosæ pietatis exercitium  
assuefactus. Fuerat autem illud Psalterium Georgij  
Maioris opera translatum, excusum Lipsiæ, à Michaële  
Blum, Anno 1549. Frequenter olim vsurpatum à Pa-  
tre meo, piæ recordationis, Dn. \* Ioachimo Cæsare,  
Consule quondam Reip. Ilauensis in Borussia; (in ve-  
ra DE Ignitione sanctè mortuo, Anno 1558. Die 17.

\* Natus est  
hic Ioachi-  
mus Cæsar,  
Pater meus  
carissimus,  
Feriâ 4 Bar-  
nabæ Apo-  
stoli (XI, In-

A 3

M, Fe-

ali, ) Anno  
 1505. in op-  
 pido Misnia  
 Geitena Pa-  
 tre Nicolao  
 Cesare Pes-  
 nicenſi, viro  
 doctiſſimo,  
 (qui, orna-  
 tus prima ar-  
 tium libera-  
 lium laurea,  
 in alma V-  
 niuerſitate  
 Lipſica, tem-  
 pore Autu-  
 mnali Anno  
 1493 ſanctè  
 oblit die Lu-  
 cæ, 18. Octo-  
 bris 1549 a-  
 gens ætatis  
 annū 79 ) &  
 Matre Eliſa-  
 betha, Filia  
 Nicolai Gun-  
 theri, Con-  
 ſulis Geiten-  
 ſis Conſedis  
 verò idē Io-  
 achimus in  
 Boruſſia,  
 poſtquā diſ-  
 cedens ex A-  
 cademia Lip-  
 ſenſi in qua,  
 exemplo pa-  
 tero ſtudiorum  
 cauſa  
 aliquot an-  
 nos verſatus  
 erat) ſecurus  
 cognatū ſu-  
 um Paulum  
 Faſoldum  
 eſſe fuiſſet.

M. Febr. ſemiſſe poſt 6. mat.) huius M. Chriſtophori  
 Iunioris auo paterno : Cuius & manus veſtigia in eo-  
 dem libello paſſim apparent : perſcriptis latinè elegan-  
 tiſſimis ſententijs, hinc inde collectis : quarum aliqua  
 verſibus erant expreſſæ : eidem quoq; M. Chriſtopho-  
 ro, quàm diu in viuis erat, gratæ & exoptatæ : longè  
 vberrimos iam pietatis ſuæ fructus, in dulciſſima illa,  
 omnibuſq; votis & deſiderijs expetenda & expectanda,  
 cum tota Sacroſancta TRINITATE, conſuetudine,  
 & ceſti beatarum Mentium & Angelorum χορηγία  
 percipienti,

VERSICVLI, A ME IN IDEM  
 PSALTERIVM SCRIPTI

**S**emper erat curæ, FILI, optatiſſime FILI,  
 Hæc tibi Daudici lectio ſacra libri.  
 Non orta Vlla dies, & non Vlla occidit vnquam,  
 Prima laboris erat pars ea, & vltima erat.  
 Dum capis ergò nihil tecum nunc mortuus ; inferſ  
 Hunc tamen in tumbæ mollia ſtrata librum.  
 Deliciæ fuit ille tibi, dum vita manebat ;  
 Fata tibi eſt idem poſt tua, deliciæ.  
 Hic indiuiduus tibi erat comes vnus in omni  
 Vitâ : indiuiduus nunc comes ipſe manet.  
 Ille bonum huic ſpondet ſummum, qui nocte dieq;  
 Pectore rimatur verba ſacrata pio.  
 Ergò bonum, FILI, ſummum nunc percipis illud :  
 CHRISTVS id eſt, animæ ſolaq; & vna ſalus.  
 Hunc animi deſiderijs votisq; petitum  
 Perperuis, oculis nunc poli in arce vides.

Conti





Continua hæc cordis thalamo de prompta fuit vox:

Philipp. 1.

DISSOLVI CVPIO, CHRISTO & adesse MEO. Psal. 34.

DISSOLVI CVPIO: hanc animam tibi, CHRISTE Re- Luc. 23.

Commendo, partã sanguine, CHRISTE, tuo. (demptor,

SVSCIPPE, SVSCI-: locuturo, vox faucibus hæret,

Plura: polo excipitur mens morientis ouans.

Suscipit exceptam cupidas Saluator in vlnas;

Luce poli totam læticiãq; replens.

Suscipit ex templò migrantem corporis huius

Ex templo: sacræ erat quod domus hîc TRIADOS.

**P**lena capis, FILI, celestis gaudia vitæ;

Mixta malis nullis, non moritura, capis:

Quorum te gustum iam prælibare ferebas

Hîc moriens: plenus speq; , fide, atq; Deo.

Gaudia visa oculis, audita nec auribus vnquam;

Ore sonanda minùs, mente putanda minùs.

En fructus pietatis hic est: bona tantaq; , totq;.

Sedibus æthereis pectora fida manent.

Felix in vitâ est, cui CHRISTVS vita salusq; est:

Quisquis in HO C moritur, mortuus haud moritur,

**Q**vando tibi ergò LIBER Iessæi Vatis, in Vrnara

Condendo, comes HIC adiiciendus erat:

Iussus inire Viam est tecum LIBER ille, PATER NVS

Quem manibus lector triuerat, acer, AVVS.

**I**ste & AVO summæ curæ fuit, atq; NEPOTI;

Iste voluptati summæ & VTRIQ; fuit.

Cura NEPOTIS AVIQ; igitur iacet, atq; voluptas,

Hoc VTRIVSQ; vno, summa, sepulta loco.

Hanc comitata salus, communis vtriq; at VTRVMQ;

In celi vectum regna beata locat.

Sicut

Sicut AVO; hæc etiam sententia sancta NEPOTI

Sic magis aut quovis nectare dulcis erat :

**Psal. 71.** TE modo TE domino potiar : non terrâ, polusq; ,  
TE potius poterit suppeditare bonum.

Tabuit vt mihi cor, & corpus inaruit ægrum ;

TV tamen aura animæ es parsq; meæ vsq; Deus.

Mellea præterea quoq; cuncta fuere NEPOTI,

Huc sua AVVS retulit quæ benè scripta manu ;

Hæc sua defuerit ne sic quoque causa NEPOTI,

Cur Comes ISTE LIBER promptior iret AVO.

Obiit Aug  
Ioachimus  
Cæsar, 17  
Febr. 1558.  
Hic vero  
Christo-  
phorus  
nascitur 9.  
Apr 1579.  
hoc est, An  
nis post  
XXI. & fero  
mè Mensi-  
bus III.

**N**ATE, Auus hîc ignotus erat tibi: mortuus antè,  
Quàm vitam orsus, eras me genitore satus.

(ILLIVS ex obitu tria nam septennia, menses

vixq; duo, celi sede RECEPTI, ierant)

At nunc nosti, & cernis Auum; noscitq; vicissim

TE, cernitq; polo; & cernit VTERq; Deum.

Cernit VTERq; Deum, dio cumulatus honore,

Latitiâ impletus totus VTERq; sacrâ.

Totq; bonis minùs, & tantis, contentus; iisdem

Nos etiam properè gestit VTERq; frui.

Vnde malis citò nos demtos ( Nam viuere longum hîc,

Crux longa est ) cupidè nunc poli in axe manent.

Consuetudo mihi hei, mihi conuersatio dulcis,

Cum TRIADE atq; sacrâ, cumq; choro æthereo.

Nil melius; sine morte, metuq; mali vllius, his quàm

Perpetuò iungi, cum quibus esse velis.

Hoc desiderium, simul expectatio talis,

Et cupidum vel nunc me facit esse mori.

Quotidiè quot ago ipse dies ( hîc quando ago ) vitæ,

Quotidiè vitæ tot quoq; demo dies.

Quot-

Quotq; dies vitæ demo, tot passibus atræ  
Ipse gradu propior sum propiore neci.  
Quo propiorq; neci; citius celi arce videbo  
Lætatus Nati lumina cara mei.  
Ergò mei citius videam quò lumina Nati,  
Mors citior, Christi at morte necata, veni.  
Viuu hic vsq; , cui mors morte est mortua Christi:  
Vita POLI HAEC saluc; Vita SOLI ILLA Vale.

*M. Christophorus Cæsar Senior, Iunioris huius  
M. Christophori beati Patris. Eodem  
4. Octob. die, Anno 1598.*

**A**Tq; hæc, ex illis excerpta, quæ tunc plura præcipiti  
opera mihi acerbissimus animi sensus & dolor ex-  
pressit, nunc huc referenda fuerunt. Cætera, & quæ in-  
de in beati huius mei Christophori obitum scripsi, cum  
Summorum in diuersis Academijs & locis virorum  
Carminibus & Epistolis, illius Sanctis Manibus, tu-  
muloq; ( Vero in defunctum amore, & me viuum  
*συμπαθεία*) consecratis, coniuncta, propediem cum  
quibusdam huius Filij mei, mortem breui secuturam  
certò præfagientis, versibus extabunt.

Hoc autem Epigramma ipse sibi in Natalem suum  
fecit Filius Christophorus ( alludens ad Symbolum  
suum, quod sibi mecum commune vsurpauit ) antè,  
quàm se reciperet in Academiam VVitebergensem:  
quod accidit Dominicâ Cantate, incidente tum in  
Diem 18 Maij. 1595. Illud cum meo ( quod & Ego, me-  
morix causâ, in eius ortum scripseram ) in Libellum  
B suum

suum *μικρονδ'ακδρ*, quem geminum sibi conficiendum  
curauerat, vsus vtroq; ad diuersos, his verbis tum refe-  
rebat:

NATVS SVM HALAE SAXONVM, DIE IX,  
M. Aprilis, qui sacer est Procopio: semisse post IX.  
vespertinam, Anno Iesu Christi 1579.

*Ἐπιε ἡ μιση.*  
Natus ego hie sum CHRISTOPHORVS cognomine  
Cocto VBI Saxoniae fumigat Hala sale. (C AR SAE)  
Sed de te ceu, CHRISTE, vocor, sic SPES mihi, PARS q; es:  
Te colam & in terris; æthere tecum & agam.

In DIEM meum NATALEM sic Pater meus:

\* PRIMVS  
enim Chri-  
stophorus  
natus fuit 9  
Nouembris,  
Anno 1577.  
mortuus no-  
ste, precedē-  
te diem 10.  
Maii, semisse  
post 1 horā.  
Anno 1578.  
vbi comple-  
uisset seme-  
stre, minus  
horis 7. quē  
natum secu-  
tus est hic  
SECVNDVS.  
anno post va-  
no, Menfi-  
bus 3 & Me-  
vis 17.

CHRISTOPHORVM patris \* eripuit mihi dextra potētis  
Reddidit hæc alium sed mihi CHRISTOPHORVM.  
Luce mihi NONA Maii fuit ABDITVSILLE,  
ADDITVS HIC NONA, sed mihi Aprilis erat.  
Sic tristi pensat benè damna priora parenti,  
Vnius anni vt. erat meta nec acta, DEVS.  
A. CHRISTO sed vt est nomen Natoq; Patriq;  
Sic te CHRISTE, colat pectore vterq; pio.  
Iunctus vterq; vt vtriq; canat sacra carmina CHRISTO,  
Et, CHRISTO, celi gaudia, iunctus, agat.

M. Christophorus Casar, Scholæ Halens  
Rector.

IN EOSDEM HOS VERSICVLOS IN NATA-  
lem M. Christophori Filij à me scriptos; quos in  
Libellum illum suum retulit:

Christophorū rapuit PRIMVM Deus; ille SECVNDVM  
Cum daret, hunc etiam Christophoram rapuit.  
HIC fuit occiduae baculus mihi, spesq; senectæ,  
Creditus atq; mea firma columna domus.

Chri

dum Christophori per Christophori famam ipse putabam,  
refe- Morte obitâ, aternos viuere posse dies.  
Erangitur, EREPTO HOC, baculus: spes concidit omnis  
Et conuulsa domus illa columna ruit.

I. X. Nomine Christophori extincto, quoq; fama Parentis  
Extincta in serâ posteritate jacet.

Quid porrò restat? nisi quando hîc mortuus erro,  
Hos ad eam, quorum est viuere, vita Patris:

Ut, veluti viuunt, sic tempore ego ipse perenni  
Additus his viuam: Vita ea; nostra, mori est.

Vita placet cunctis: Hora ergò optata venito;  
Cum CHRISTO, & Natis, viuere ut incipiam.

Sit pro Christophoris ergò hîc mihi CHRISTVS; iisdem  
Dum iungar: quisquis Christum habet, haud moritur.

*M. Christophorus Caesar Patris*

IN SYMBOLVM VTRIVSQUE  
CAESARIS, cum PATRIS, tum FILII; illius  
Senioris, superstitis adhuc; Huius Junioris,  
piè & religiosè mortui.

PSAL. 142.

ἐλπίς ἡ ἐμὴ.

Ὁ Χριστὸς μὲν ὅστιν ἐμὴ ἐλπίς ἐμὴ.

SOLVS mea SPES & PORTIO CHRISTVS.

Spes & pars CHRISTUS mea; CAESUS in ARBore pro me.

TA- Nomen habes commune mihi, pie NATE, parenti:

Quod de CHRISTO vnum celsit vtriq; SVO.

Tu contentus at haud communi hoc nomine mecum.

Inferto in coetum, quod dedit vnda, sacrum:

VM Mecum vti gaudes communi Symbolo & ipse,

Quod PIETATE, bonus, tu tribuente, capis.

Hoc referunt omnes libri, & tua tota supellex;

Viuentis Sancto hoc semper in ore fuit.

B 3

| Ergò

**L. Tim 4.** Ergò velut Pietas est omnibus utilis alma ;  
Commoda sic fructu fertiliore capis.  
Nam TVVS vt CHRISTVS tua erat SPES solus in Orbe ;  
Celso ita nunc CHRISTVS PARS TVVS vna polo est.  
Certa FIDEM iungit sibi SPES ; REM PORTIO spectat :  
Hæc duo non vllò dissocianda loco.  
Hic quicunq; FIDE Christo , SPE quisquis adhæret ;  
Ipse polo huic RES & PORTIO , Christus erit.  
Desinere in SOLVM sic perspicias omnia CHRISTVM :  
Omnia CHRISTVS habet ; SOLVS hic VNA SALVS.  
Et dubitamus adhuc venerari pectore CHRISTVM :  
Quis velit hunc DOMINVM non coluisse SVVM ?

*M. Christophorus Cesar Pater.*

**HANC IPSAM SYMBOLI, VTRIQUE**  
nostrum ( mihi cum Filio Christophoro p. m. ) com-  
munis, SENTENTIAM, diuersis à se formis se-  
quentibus expressam, exhibuit mihi Filius  
VVitebergæ ( quò excurreram ) 30.  
Martij Anno 1596.

**P**erpetuo in cunctis sunt iuncta hæc vtraq; nexu,  
Quorum sunt summo dedita corda Deo:  
Nempe duo hæc ; & SPES & PARS : quarum altera vitæ  
Congruit huic ; alia at congruit æthereæ.  
Congruit huic vitæ, FIDEI SPES iuncta ; futuræ  
Congruit ast ipsi PARS sociata REI.  
Deniq; tam sunt hæc arctâ constricta catenâ ,  
Vt duo non vllò sint dirimenda modo.  
Christus in hac etenim cûi SPES est VNICA vitâ ;  
Vnica ei quoq; PARS æthere Christus erit.  
Scribitur asse hæres toto ; communicat illi  
Seq; , suâ totum cum Deitate Deus.

Atq;

Atq; ita quod fuit antè in SPE, nunc totum habet in RE,

Ille fit vt totâ parte beatus Homo.

Hic qui SPEM FIDEI iungit; PARTEM ergò REI QVE

Isthic: ex omni parte beatus Homo est.

Ergò tenens Christum SPE, RE potietur eodem:

Huic ita SPES, vnus, RES ita, Christus erit.

SPE in præfenti; sed RES vitâ ille futurâ;

Hic poli vbi in cunctis cuncta erit arce Deus.

### ITEM.

Est mea SPES Christus; Christus solus mea PARS est,

Quid mihi in Orbe soli deest: quid in arce poli; (est:

Christus enim SVMMVMq; BONVM quia, SOLA SALVSq;

HVNC modò habēs VNVM, SALVVS is OMNIA habet.

CVNCTA habet ille BONA in tertis; BONA CVNCTA in

SPEq; Fideq; SOLO; PARTEq; Req; POLO. (Olympo:

Cuius in hoc Christus non SPES fuit orbe; futurâ

Illius in vitâ PARS minùs esse potest.

Nexu iuncta inde est ἐλπίς μερίς perenni:.

VTRAq; continuo est ordine iuncta tamen.

SPE fouet hîc dîo CONFISOS munere Christi:

RES sequitur; CHRISTVS, PARS capienda polo.

Ergò POLO vt, ceu PARTE MEA, TE perfruar VNO,

HOC sis perpetuò SPES mihi, CHRISTE, SOLO.

ἄλλως:

ὄντομαθ' ὡς χρίσθι φορῆσαι δέδοθ' ; ἴτω ἄρ' αὐτόρ

ἐλπίδα ἐν θυμῶ ἢ μέρθ' οἴσω ἐμῶ.

ἴτθ' ἐμὴ ἔσαι ὄλβθ' ἀντάξιθ' ἄλλθ'

θυμοχαρῆς τῆ μερίθ' ἢ ἐλπίθ' ἀλεξίκακθ'.

τὸτθ' δεξιτέρου μάλ' ἀσσητήθ' ἔχοντθ'

μεν ὑπέρθ' ; ἴθι κακῶν δῆϊον ἴθι τρέθ' }

ἄλλως:

ἐλπίθ' μερίστῃ δ' εὐσεβῶν

χρισθῶν πείθ' ; τὸτθ' σέβθ' :

§ §

§ §

·Χριστοὶ γίνεσθε ὡφελῆς,  
·ἄτην δὲ ἐμβαλλ' ἕθενι,  
·ἰδούσθε εὐλῆ, ἀνέχεσθε κακῶς.

ἄλλως:

·ὅτι κ' ἐθέλησθε τὸν φόρον, ὅθεν τ' ἰεὶ ἔπειθε,  
·ὅτι ἔχει σατανᾶ, κόσμον ἔσασθε μύχεθε.

## A L I T E R.

**C**hristus mein HOFFNUNG und mein Heil  
Ist für und für/und auch mein THEIL.  
Auff ihn ich HOFF in diesem Lebn/  
Dort Er sich mir wird EIGN ergeben.  
Diz deut/ das allein IESVS CHRIST  
Hie mein HOFFNUNG/dort mein THEIL ist.  
So tröst ich mich sein hie und dort/  
Sein bin und bleib ich nach sein Wort.  
Aber sein Wort nicht eriegen kan/  
Desh werd ich ewig freude han.

H A E C I S T I V S S Y M B O L I V E R -  
ba idem Filius meus, beatæ memoriæ, illustravit sen-  
tentijs alijs, magno numero accurateq; ex sacro Bi-  
bliorum Codice huc accersitis: quas vario Carminis  
genere græcè & latinè sic expressit, ( additâ alicubi  
Arithmologiâ Germanicâ ) vt studium illud boni animi  
rectum à doctis & præcipuis viris collaudatum, & imita-  
tionis diligentia ( In græcis autem Pœtis sacris mirificè  
delectabatur lectione Psalterij, redditi ab Apollina-  
rio, Dolscio, & Porto: ad quam adiecit Paraphrasin  
Nonni in Iohannem ) approbata fuerit, & nunc  
etiam commendetur.

Ex ijs aurem Scripturæ dictis, inter alia, hæc quoq;  
ascripserat, & ad Symbolum suum accommodauerat:

PSAL



PSAL. 62. Deus auxiliij mei, & spes mea in Deo  
 est: sperate in eo omnis congregatio populi. PSAL.  
 71. Domine spes mea à iuuentute mea. PSAL. 73.  
 Quid enim mihi est in in celo? & à te, quid volui super  
 terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis  
 mei, & pars mea Deus in æternum. PSAL. 142. Tu es  
 Spes mea, portio mea in terra viuentium. IEREM. 17.  
 Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Domi-  
 nus fiducia eius. IN THREN. 3. Pars mea Domi-  
 nus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bo-  
 nus est Dominus sperantibus in eum. DANI. 13:  
 Qui saluat sperantes.

QVORVM HOC DICTVM PSALMI 73.  
 (vt illud postremò adijciatur) tali Epigrammate  
 Filius reddidit:

*SI\* TE habeo, pie Christe, habeo omnia: si omnia  
 TE polo & orbe habeo, nil polo & Orbe habeo.  
 Sed TE verè habeo: mihi testis es ipse, tuumq;  
 Verbum: in meq; tuus Spiritus, atq; Patris.  
 Omnia quare habeo tecum communia: surgunt  
 Hinc animo, orta fide gaudia vera, meo.  
 TE confisa hac spes, nunquam confusa recedat:  
 TEq; citò vt videam, me citò in astra leua.*


M. Christophorus Cæsar Filius.

Hæc

\* Hoc Di-  
 stichon ali-  
 as sic vsur-  
 pauit: Si te  
 habeo, pie  
 Christe, ha-  
 beo omnia:  
 Si omnia  
 præter TE,  
 pie Christe,  
 habeo nil,  
 pie Christe,  
 habeo: im-  
 mutatum est  
 Dactilo, Poë-  
 ta & Patri-  
 cio Floren-  
 tino p. 162.  
 Si te habeo  
 Telefina, ha-  
 beo omnia,  
 si omnia  
 præter TE  
 Telefina ha-  
 beo, nil, Te-  
 lesina, ha-  
 beo.

Hæc paucis quoque appendicis loco, attingenda  
hîc, de huius Christophori SYMBOLO, fuerunt : vt &  
hac in parte, quemadmodum ex vniuersa vita, rectius  
fieri iudicium de pietate animi ipsius religiosa, reliquis  
studijs, & beata ex hac vita (quam placidissimo exitu,  
inter preces ardentissimas & testificationem summi de-  
siderij, vnicè aspirantis ad consuetudinem cum Salua-  
tore suo CHRISTO, soluto corpore, celestem, sine  
horrore, toto pectore gestiens, clausit) migratio-  
ne possit : siquidem talis quenq; consequi  
mors solet, qualis vita illius fuisse  
deprehenditur,

F I N I S.



A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







69

ΙΑΛΕΜΟΣ, LXX.

IN FVNERE

Iuuenis religiosè & cupidè in Christo defuncti,

M. CHRISTOPHORI  
CAESARIS IUNIORIS:

SANCTOS EIVSDEM,

*Filij sui optimi & optatissimi,*

*& nunc verè beati,*

MANES,

In luctuoso debitæ pietatis officio, ver-  
ficulis extemporaneis

PROSEQUENTE PARENTE  
M. CHRISTOPHORO CAESARE,  
Rectore Scholæ Halensis; mœ-  
rente & dolente.

IV. Die Octob.

ANNO M. D. XCVIII



Halæ, excudebat Paulus Gräberus,

64

